

peratore narrat EVSEBIUS, quod cum pugnaturus esset contra Eugenium & Arbogastem Tyrannos, qui exitium minabantur Christianae religioni, in ipso confictu vehementis ventorum procella, tonitrua, fulmina, syderum influxu in aërem & miranda directione excitata, hostium & tela & iacula non solum impedierint, sed & ipsos retorserint, sicque victoria potitus sit Theodosius. Vnde CLAVDIANI versus:

*O nimium dilecte Deo cui militat aether,
Et coniurati veniunt ad praelia venti.*

Caeterum Militias has sydereas ἐμψύχες esse, docuit olim ORIGENES non in libris tantum περὶ ἀρχῶν, sed etiam Lib. V. contra Celsum, pag. 228. Καὶ οἱ ἐν δραγῷ αἰέρες γῶα εἰσι λογικὰ καὶ σπεθόντα, καὶ ἐφωτισθησαν τῷ φωτὶ τῆς γνώσεως ὑπὸ τῆς σοφίας, οἵτις ἐξὶν απάνυγασμα φωτὸς αἴδις. καὶ γὰρ τὸ μὲν αἰδητὸν φῶς αὐτῶν ἔργον ἐξὶ τῷ τῶν ὅλων δημιουργῷ τὸ δὲ νοητὸν, τάχα καὶ αὐτῶν, καὶ τῷ ἐν αὐτοῖς ἐξεστίᾳ ἐληλυθός. Cui dogmati cum multis aliis fauent BODINVS in Theatro Naturae, RICIVS de anima coeli, PYTHAGORAS apud LAERTIVM in eius Vita, TVLLIUS in Timaeo, Lib. II. de Nat. Deorum, Stoici apud Tullium Lib. IV. Quaest. Academ. PLATO in Epinom. pag. 638. 639. Contra quos disputat LACTANTIVS FIRMIANVS Lib. II. Instit. Div. qui est de Origine erroris, cap. V. p. m. 134. seqq.

§. VII.

Attendendum hic praecipue venit memorabile nomen, quod a militiarum exercituumque vocabulo benignissimo Numinis assumere perplacuit. Decem Dei nomina, tanquam in Scripturis Veteris Testamenti occurrentia, HIERONYMVS, Patrum in Hebraicis alias doctissimus, in epist. ad Marcell. quae est 136. velut ex Hebraeorum sententia enumerat, totidemque etiam numerare Hebraeorum Cabbalistas, sed paulo aliter ea recensere, BVXTORFIVS in peculiari Dissertatione de Nominibus Dei Hebraicis, Thes. I. §. 4. annotat. Vix notius inter illa vel vulgo est sanctissimo illo & maxime maiestatico quo אלה אֱלֹהִים appellari Deum legi-